

Nº 3

D. D.  
DISSERTATIO MEDICA  
DE  
USU  
SYSTEMATIS SEXUALIS  
IN  
MEDICINA.



CONSENT. EXPERIENTISS. MEDICORUM ORDINE  
IN REGIA ACADEMIA GRYPHICA

PUBLICE VENTILABUNT

HENRICUS. CHRIST. DANIEI  
WILCKE M. D.

ET

HENRICUS ALEXANDER ROSENTHAL  
GRYPHISWALDENSIS.

MEDICINÆ CULTOR

ANNI MDCCCLXIV. DIE XXV. SEPTEMBRIS  
IN AUDITORIO MINORI.

---

GRYPHISWALDIAE  
LITTERIS A. F. RÖSE  
REG. ACAD. TYPOGR.

20  
ALLEGORICAL  
U-2-U  
SACRED SEKULÄR

IN  
MEDICINA

CONSILII ET PRACTICÆ MEDICINÆ ORDINÆ  
IN RÆTA VITÆ CIVICÆ CRYPTOICÆ

HENRICUS CHRISTIANUS  
WIEGERT M.D.

TE

HENRICUS CHRISTIANUS WIEGERT

CATHARINA GÖTTSCHE

ET ALIA EDITIONES

ALIA EDITIONES

IN LIBRARIIS

CHRISTIANÆ LIBRÆ

LITTRÆ A. D. 1711.

EGO VIVID TECUM



### §. I.

**U**t cognitio virium plantarum certa ac solida Medico necessaria est, ita utilissima foret Scientia, qua ex intuitu, aut externa plantarum inspectione, quasi a priori, edoceremur, quas vires medicas habeant arbores, frutices, suffrutes, herbae, earumque partes, folia, radices, flores, fructus, cortices, cetera. Opinor, si via daretur, quam sectando, non habito experimentorum et observationum respectu, vires plantarum quam certissime detegere possemus, magnum exinde Medicina emolumen-  
tum caperet. Aut, quod idem foret, si Scientia inveniatur, quae tales plantarum characteres et notas traderet, e quibus earundem vires perpicere, vel cum probabilitate saltem conjicere possemus, haec Scientia magno in pretio a Medicis practicis haberetur. Etenim hi characteres, hae notae, plantae virium signa factae, innumeris incommodis eos levarent, ac summam utilitatem, temporis et sumtuum compendia, in praescribendo certitudinem, aliaque opportunitatum genera afferrent, Quot hujus artis beneficio experimentis dubiis supercederent, quot errores atque fallacias effugerent? Nunquam tunc eorum labor, in amplificando medicaminum numero, fundamento deslitueretur. Sola enim plantae oblatae cognitio, notarumque ejus cognitarum consideratio, illis pro filo ariadneo esset, ubi experimen-



tis quid quaerant, nesciunt, aut quid reperiverint, adhuc dubitant. Visis signis, tuti pedem proferrent, aut, spe illis ablata, figerent. Et si quando eventus non statim responderet exspectationi, his indicis nixi, opus continuarent, donec finis id coronaret. Eventum enim tunc ferme praescirent, quem nunc, qualis futurus sit, anxii expectare coguntur.

### §. II.

Enim vero si hanc rem cogitatione complectimur, statim patet, hos characteres, aut si mavis, virium signa, clara et distincta esse debere. Tum denum enim tuto applicari possent, siquidem certitudo, in tanti momenti re, maximi est pretii. Et quoniam nihil rem melius significat, quam quod sensus cum recordatione signati afficit, nihilque clarius, quam quod illos sine studiofa scrutatione percutit, sequitur, ut characteres sensuales, si qui inveniantur, tanto ad hanc rem aptiores essent, quanto certius est, hos ab omnibus et percipi, et cognosci posse. Quod si è contrario hae notae variis experimentis et subtilioribus observationibus exquirendae forent, et multis, iis inventiendis, via secluderetur, et innumeris halucinationibus obvolutae, et dubiis quasi circumscriptae, a paucis tantum et lynceis vix oculis perspicerentur. Igitur characteres, qui in sensus incurront, optimi forent, dummodo clari atqui distincti, hoc est, ita comparati sint, ut et sentiri a sanis sensibus, et verbis exprimi determinate possint, quo iis quoque describi queant, quibus objecta ipsa exiberi non licet.

### §. III.

Neque adeo mirum est, rem tam utilem, artem, puta, plantarum characteristicam, jam dudum a Medicis pariter atque Botanicis cogitatum esse. Ast dolendum, viam erroris hic quoque veritatis via multo latiorem esse. Testatur id Historia Botanices. Etenim veteres, quorum scripta probant, se de viribus plantarum indagandis sollicitos fuisse, magis ridiculis hypothesis stabiliendis ac firmandis, quam Systema Plantarum fundando, navarunt operam. Postquam enim aetas *Empiricorum*, id est eorum, qui experimentis tantum medicinam faciebant, erat absoluta, et restitutae renovataeque litterae, artemque insimul medicam lux clarius affulserat, primum prodiere *Astrologi*, qui pro influxu astrorum in plantas vario, varie modificataam esse earum vim statuebant. Inter hos **BODENSTEINIUS**, **TURNEISERUS**, **PENIUS**

PENIUS inclarerunt, qui propter dictum influxum, quamlibet plantam in illam corporis partem effectum singularem exferere putaverunt, quae idem sidus pro numine tutelari agnosceret. Septem erant planetae, hinc septuplex influxus in plantas pariter atque in corpus humanum. Ut si planta, quae eidem sideri subesset, cui parebat cor, haec cordi, quaeque ab eodem sidere, atque pulmo, afflatum sentiret, haec pulmoni salubris ac sana esset. Stachydem et Daturam esse plantas Saturninas, ideoque in cerebrum agere. Item plantas laeta ac amabili facie iis partibus corporis conducere, quibus praest Jupiter. His non multo sanius de plantarum viribus senserunt *Signatores*, a signatura et figura illarum, quam perquirebant, externa nomen trahentes. Attamen hoc suae sententiae fundamentum perhibebant esse, quod multa medicamenta lutei coloris, in Ictero, luteo morbo, ut Rhabarbarum, Chelidonium, Crocus; alia rubri coloris in Dysenteria magnum usum habere, qualia sunt Lapathum sanguineum, Tormentilla, Sanguis draconis, et alia. Qui si hic substitissent, excusandi quodammodo fuissent. Pleraque enim lutea amara sunt; rubra adstringentia, sanguinem emendant. Quae quum imaginationi eorum ludenti nimium arriderent, qui a comparationibus magis adhuc accidentalibus se continere poterant? Praeter colorem ipsa partium plantae figura in consilium vocabatur, quoties earum vires definire debebant. Mireris, quam ingeniose in floribus Orchidum, mares, foeminas, uterum, verenda utriusque sexus sibi finixerint, quo ratione in redderent, cur hae plantae sint Aphrodisiacae, et quam studiose omnem similitudinem in suos usus convertere allaboraverint. Anacardium orientale cardiacum, occidentale hepaticum putabatur, Brassica capitata caput referens, caput sanare credebatur, et huic aetati ingens nominum plantarum copia, quibus significatio ejusmodi mystica latet, suam debet originem: Consolida, Hepatica, Saxifraga, Podagraria, Vulvaria, Vulneraria, sententiam probant. Postea *Chemici* alia via vires plantaram insectarunt, ea nimiriun, quae Analyseos nomine innotuit. Consistit haec in resolutione plantarum, in partes constitutivas ope ignis atque caloris. Notum est, cujusvis corporis partes hoc modo a se invicem sejungi et seorsim extrahi, et, quod in iis reconditum est, oleum, sal, spiritum, terram, cetera separatim accipi. Itaque plantarum vim hoc pacto optime indagari posse, existimabant, quoniam quamlibet earum his partibus constitutivis convenienter agere prohibebant.



Dici vix potest, quantum Seculi praeterlapsi hac inquisitione desudaverint in primis Parisienses, quum tanti pretii res esse censeretur, ut Regia Societas Scientiarum Parisiensis, hoc negotium exequendum sibi sumeret; verum eventus expectationem sesellit. Nihil enim summa summorum diligentia, magnis impensis sublevata aliud profecit, quam ut uno ore profiterentur omnes, nihil certi hac in re per Chemiam se assequi posse. Sane nullum unquam praejudicium majoribus sumtibus, majorique opera refutatum est, quam illud de via Analyseos.

#### §. IV.

Quodsi ex me quaeras, qui factum sit, ut tot hypotheses erroneae assumtae et confirmatae sint, tot experimenta male ceciderint, dicere audeo, in caussa suis ignorantiam Botanices, ejusque valde arbitriam tradendi methodum, systemata demum et classificationes plantarum minime naturales. Idem enim fere est, sive quis ex erronea hypothesi, sive ex ignorantia plena hic agat. Hic sine ratione agit, bonum successum fortunae committens, ille non minus. Quicunque enim ex regulis falsis, quod in Systemate sunt classes et ordines, nec non genera non naturalia experimenta facit, is sine ordine et fundamento agens, operam perdit. Quod si mihi concedatur, annon id quoque largendum est, nos, si Systema Naturale habeamus, a natura ipsa nobis traditum, atque hoc in experiendo et observando sequamur, vel omnes, vel plurimos saltem errores evitare et posse, et debere? Quod tanto minus quis in dubium vocabit, quoniam Systema naturale est, quod plantarum vires esse praecipiunt, Systema inquam, in quo classes et ordines genera naturalia complectuntur, genera autem species, eadem vi praeditas, non neglecta essentialium earum partium convenientia, forma ac figura. Vires enim plantarum una cum his earum naturam constituant. Adeoque, qui Systema Naturale plantarum didicit, earundem vim novit.

#### §. V.

Ratio igitur facile concipitur, cur Botanici recenciores ac circumspectiores in id omni opera incubuerint, ut Systema Plantarum construentes, distinctiones atque divisiones earum, et quae iis respondent, ordines et genera, tam naturalia fierent, quam quae naturalissimia.

Dici

Dici enim vix potest, quantum subsidii ex eo caperet Medicina, et reliquae artes, quae plantarum usu nituntur, uestigio. hujus divisiones generumque characteres totidem virium plantarum notae et signa evaderent. Quae signa si cum sapore, odore, et colore una sumantur, tanto clariora fierent, quanto tunc plura ad eandem rem significandam concurredent. Absit autem a me, ut saporis et odoris usum in hac re vilipendam. Evidem bene novi discriminem saporis amari, acris, acidi, dulcis, aquosí, siccí, pinguis, viscosí, salsti, austeri; novi quoque, quas vires hi in plantis indicent. Insuper novi distinctiones odoris, quibus in aromaticum, fragrantem, ambrosiacum, alliaceum, hircinum, tetur et nauseosum dirimuntur. Verum scio quoque quantis difficultatibus dijudicatio saporis pariter atque odoris in casu obvio prematur, quam aegre eorum differentia verbis exprimatur, et quam difficulter cum aliis iidem conceptus communicentur, quos experientia et usus assiduus plantarum observatores docuit. Praeterea non simplices tantum, sed multi compositi quoque sapores dantur, qui sapientem haud raro dubium relinquunt, cuius generis sapor sit. Odor autem longe difficultius describitur, cum inter tot millia corporum vix duo reperiantur, quae exacte inter se convenient, omnibusque eundem hominibus sensum imprimant. Quare optarem iis certiores virium notas, quae in oculos cadant, in Systemate exhiberi, quae si cum gustu et olfactu combinentur, tunc deum determinatae ac fixae evaderent. Tantum igitur abest, ut characteres, a sapore et odore petitas, rejiciam, ut comprobem potius eos et commendem, quando certa virium plantae indicia suppeditant; id quod saepissime fieri experientia docet.

## §. VI.

Postquam eorum sententia, qui plantas pro figura foliorum distribuerunt, vel a solo locoque natali, radice, caule, aliisque accidentibus fundamentum divisionis desuenserunt, sua ipsius labore conciderat, cito perspexerunt Botanici, fructificationis partes solas esse, quibus, tanquam fundamento, Systema plantarum superstrui debeat. Atque in fructificatione, inde a CAESALPINO *Botanices magno restauratore*, Systema Naturale quaesiverunt, tametsi primi, imimo omnes a scopo aberrarunt, quotquot unam ejus alteramve partem solam in subsidium vocarunt. Faciliorem quidem et perfectiorem magna opera hic scien-  
tiam



tiam hanc praestantissimam fecerunt, non tamen absolverunt. Illi demum de re botanica immortaliter meriti fuerunt, qui totam fructificationem acutis oculis perlustrarunt, omnibusque characteribus observatis, naturam secuti sunt, non ad principia arbitraria distractarunt. Tentarunt hoc multi, quos inter eminent TURNEFORTIUS: recentiores enim, qui post *Cel. DE LINNE'* inclarerunt, studio praetereo. Sed eos omnes antecelluit *Generosissimus Archiater Regius et Eques auratus DE LINNE'*. Hic primus anteras et pistillas detexit. Hic duplicem plantarum sexum observavit, suamque sententiam, in omnibus plantis duplicitis generis partes adesse, qui partibus genitalibus sexus utriusque respondent, observationibus confirmavit. Hic pro sua perspicacia vidit, omnes in universum plantas in certos ordines et cohortes sua sponte recidere. Hic, natura sic magistra, differentiam plantarum naturalem agnovit, eique Systema novum superstruxit, emendavit, amplificavit: SYSTEMA nimirum SEXUALE, reliquis, quae huc usque condita sunt, longe praestantius atque perfectius. Hoc est illud Systema cuius usum in re medica nunc ostendere animus est.

### §. VII.

Ego vero contendere non ausim, Systema Sexuale diu exoptatum, omnibusque numeris absolutum Naturale esse, quum ipsum ejus conditorem *DE LINNE'* dissentientem habeam. Sed quoniam plurima tamen Systematis Naturalis fragmenta continet, et reliquis omnibus longe naturalius est, et, quos habere videtur, defectus leviores sunt, quam qui in censum venire debeant, et ab omnibus magni habeatur: loco Naturalis adsumendum censeo, donec perfectius protulerit posteritas felicior. Idque tanto magis, quo arctiori cum vi plantarum vinculo jungitur. Si enim reliqua naturalia esse judicantur, quatenus respiciunt fructificationem, hoc naturalissimum dici posset, tum quod fructificationem semper respicit, tum quod eam exhaustit. Namque fructificatio totam plantam quasi oculis recludit, et ad interiora intimosque naturae recessus aditum nobis aperit. Representat enim internam ejus naturam et partes constituentes, dum ob oculis ponit partes, quae formationem femininum conficiunt, quaeque adeo essentialia ejus continent. Quae si, quod ad fidem proclive est, plantae vires constituant

fituunt, in Systemate plantarum nihil naturalius esse potest, quam quod ex fructificatione derivatur.

### §. VIII.

Verum haec in praesentiarum mittere scripti ratio suadet, et quoniam de hujus Systematis praestantia melius judicari nequit, quam si id ipsum percurras, ejusque classes et ordines dispicias, quo pateat, quem usum in definiendis plantarum viribus habeat, mihi ambages sedulo evitatuero, et, ut fieri potest, brevissime demonstratuero, eximium ejus in re medica esse usum, tutissimum videtur, totum Systema perlustrare, et quid quaevis classis atque ordo, ad determinandam plantarum vim suppeditet, vel recuset, strictim carptimque ostendere.

**MONANDRIA.** Haec classis ex methodo naturali, ordinis *Citaminum*, sequentia genera, continet: Amomum, Costum, Curcumam, et Kaempferiam, in quibus observatur caulis herbaceus culmiformis, folia simplicia, alterna, integra. Haec omnia vel in radice, vel in seminibus *Vim calefacentem* habent. Sequentia enim medicamenta exhibent, Zingiber commune et album, Cardamomum minus, Grana paradisi, Costum dulcem et Arabicum, Curcumam, Galangam majorem et minorem. Quis nescit haec ob oleum aëreum et resinam acrem inter praecipua *stimulantia* referri? Quis eorum *Vim nervinam* ignorat? Curcuma quidem magis amara, minus calida est, sed hoc ipso Cannam cum hac classe conjungit. Ob eandem caussam in culina inter aromata recepta, cum oblectamento accipiuntur. Salicornia, quae classi naturali differt, ad hanc classem Systematis sexualis pertinet, nec vis repugnat. Ex ea enim alcali vulgo Soda delumitur, quae in praxi Medica inter calefacentia resolventia optime locum habet. Praeterea cum reliquis sapore acri et pungenti convenit, at odorem fragrantissimum, aromaticum, iis proprium non spirat.

**TRIANDRIA DIGYNIA.** Complectitur hic ordo gramina, ex quibus genera sequentia Lagurus, Saccharum, Panicum, Hordeum, Triticum, Avena, Phalaris, medicamenta porrigit sat conservata, vi admundum affinia. In genere vero graminum majorum

1. *Semina*, in Diaetetica pro cibo laudantur. v. g. Secale Triticum, Hordeum, Avena, quae tamen non sola cibari possunt, reliquis omnibus eidem usui inservientibus, excepto forsitan Lolio. Increbescente igitur



tur annona, ad sera, i. e. sponte nascentia recurrere possent nostrates. Neque minus ex his decocta in morbis phlogisticis ob blandum acidum, quo putredini resistunt, sat copiose aegrotis propinan Medici.

2. *Folia*, non quidem usum immediatum habent, sed notari merentur, ut praefantissimum pecoribus pabulum.

3. *Radices*, omnes fere eadem virtute pollent. Ex his radix Triticis repensis vulgo Graminis sola in Pharmacopoeis recepta est. Non tamen minorem usum habent reliquae perennes; sal enim essentiale, acidus dulce, et mucilaginem omnes servant, quare in Phthysanis vel Decoctis Saponaceis promiscue recipi possent.

*TETRANDRIA Stellatas RAJI* habet, ex quibus Rubia et Asperula officinales sunt. Hujus quoque ordinis, *Auricularia DALAEI*, nondum ubique recepta, perinde, atque reliquae, *diuretica* est. *Rubia tinctorum*, tingendis liquidis inservit, cui quidem usui etiam congeneres adaptatae sunt, maxime *Asperula tinctoria*. Nec ulla ex his fere est, quae non sit tinctoria, tametsi minori nonnunquam gradu. Quare, deficiente una, altera substitui potest, quod tanto minus addubitandum, quanto certius est, harum plerasque in arte infectoria usu receptas esse.

### §. IX.

*PENTANDRIA* omnium amplissima classis, rarissimas pariter et incognitas plantas continet; hinc non est mirum, neque de earum omnium vi constare, neque omnes cognitas eadem vi pollere. Sufficit ordines adduxisse naturales, ex quibus de tota classe judicium ferri potest.

1. *Asperifoliae Tournefortii* sunt; quarum calyx quatuor semina nuda in sinu sovet. Ex his *Lithospermum*, *Anchusae*, *Cynoglossi*, *Sympyti*, *Pulmonariae*, *Boraginis* species officinales sunt. Semina ex his habemus, sed plurimum radices et herbas, quae, ut totus ordo *vi oleracea, adstringente, et vulneracia*, sunt. *Symphytum majus* vel *Consolida*, inter *mucilaginosas* praecipua ponitur.

2. *Monopetalae Bacciferae Venenatae* sunt; *Capsicum puta*, *Solanum*, *Phytalis*, *Atropa*, *Mandragora*. *Naturam* hae habent *calidissimam* et *corrosivam*, qua varie venenum produnt, ac si edantur, inflammationem ventriculi facile efficiunt. *Capsicum corrosivum* est. *Phytalis*

- falis summo gradu diuretica. Ex Solanis Papas venenata in naturam cultura sine dubio exuit, utpote quae, in Patria sponte nata si comedatur, scabiosos et cachecticos reddit, id quod auctores referunt. Cum his, vim aequa noxiam communem habent
3. *Pentandriae monogynae capsulares, staminibus inclinatis*, quae sunt, Verbasum, Datura, Hyoschyamus, Nicotiana. Hae male adhibitae ut atrox venenum in corpus agunt et notissima sunt. Quod ipsum recentioribus occasionem dedit, iis pro medicamentis heroinis utendi. Datura enim, deliria movens, antea horrorem contemplantibus incusit; item Hyoschyamus insaniam minans, recentissimis observationibus, ut optima et fere specifica medicamina in morbis soporosis et mentalibus laudantur.
4. *Umbellatae vel resolventes et carminative sunt, vel venenatae*. Quae differentia pro soli varietate constans est. Priorem vim habent, quae in siccis crescent, posteriorem, quae in humidis florent. Quin immo eadem species naturam ita mutant, si mutatur solum. Thesis haec diu exemplis probata fuit, nam Meum, Seseli Creticum, Gentiana alba, Galbanum, Assa foetida, Levisticum, Imperatoria, Pimpinella, Anisum, reliqua, in siccis bonae, in humidis noxiæ sunt. Praeter has aquosis tantum innascentes, venenatae sunt natura, ut Phellandrium, Cicuta etc. Conium maculatum, vulgo Cicuta, siccis locis crescit, et nostris temporibus vi eximie resolvente mirum in modum se commendavit, glandulas enim corporis obstructas praeprimis resolvit, viscerumque obstructions recludit, ex quo patet, tam elegans medicamentum, hunc ordinem, vel maxime probare, esse naturalem.

## §. X.

**HEXANDRIA.** Plantas porrigit, quae *radices* habent *bulbosas* vel *tuberosas* et plerumque *noxiæ* sunt. Ipsiæ *Allii* species, alcali volatile scatent, quod adeo acres facit, ut prorsus corrosivam vim exferant. Neque obstat, quod in culina consuetae sint. Nam ossatae, vel coctæ acredinem amittunt, et esculentæ fiunt. Exceptis *Tulipae* et *Lilii* radicibus, reliqua venenatae sunt. *Tulipa* enim in Italia, *Lilium Martagon* in Sibiria pro cibo adponitur.



OCTANDRIA genus latissimum Polygoni includit. Ab auctori-  
bus hoc antea in plura genera minora divisum fuit, quae omnia hic ob-  
summam affinitatem uno nomine complectuntur, et sane limites certi  
inter species vix dantur, tantoque magis idem nomen generale meren-  
tur, quanto minus earum vis differt. Plurima *semina esculenta* sunt,  
ut ex Fagopyro, Centum nodia, Polygono Tartarico et aliis patet.  
Species quae humidis in locis crescunt, qualitatem urentem adsciscunt  
v. g. Hydropipes, quae Persicaria est pharmacopolarum.

EX ENNEANDRIA genus Lauri plura profert *medicamenta, aro-  
matica, fragrantia et cordialia*. Cinnamomum enim, Mallabatrum,  
Cassia lignea, Camphora, Sassafras, Benzoe, Vinteranus cortex et ipse  
Laurus, qualitate et vi convenient, tametsi usum diversum habeant.

DECANDRIAЕ *ordo, qui antheris bicornibus dignoscitur*. e. gr.  
Ledum, Pyrola, Andromeda, Arbutus, *vi adstringente* innotuit. Ean-  
dem vim plantae antheris bicornibus ex classe Octandria fovent, ut Eri-  
ca, Vaccinium. Ex his bacciferae, baccas ferunt acidas et esculentas,  
colore congruente rubro, in quibusdam vero, quod mirum est,  
nigro.

ICOSANDRIA *Baccifera, Drupifera, et Pomifera, fructus pro-  
fert, cum oblectamento comedendorum*. Haec genera sunt, Cactus, Pu-  
nica, Cerasus, Pyrus, Rosa, Rubus, Fragaria et plura alia. Vix ulla  
species datur, quae nociva sit. Lauro-Cerasum venenatum esse, con-  
tendunt Angli, negant alii haud absque fundamento. ICOSANDRIA  
POLYANDRIA, sifist Rosam, Rubum, Fragariam, Potentillam, Tor-  
mentillam, Comarum, Geum, et Dryadem. Quae omnia ut classe  
naturali convenient, ita folia habent alterna, *vim adstringentem*, virtu-  
temque omnium suarum partium, exceptis tamen interdum petalis,  
eandem.

POLYANDRIA, latissime patet, ideoque ejus character generalis  
difficile datur. Plurimas tamen, quotquot novimus, *plantas venena-  
tas* comprehendit. Inprimis quidam ejus ordines, reliquis notiores,  
has comprobant.

1. *Plantae, quae nectarium habent a flore distinctum venenum re-  
condunt*. Tali nectario instructa videntur Aconita, Aquilegiae,  
Nigellae, Delphinia, Hellebori, de quibus dubium non est, quin no-  
ceant. Aquilegia minori reliquis gradu, Aconiti species maximo.

Aconitum

Aconitum enim Napellus (germanice Eisen-Hüthlein) mortem comedentibus conciliat. Nec obstat, hoc ipsum nuper ut medicamentum optimum esse introductum. Quod enim minima dosi salubre in morbis est, in majori toxicum foret atrocissimum. Atque his canon fere generalis est, adeo, ut ad ceteras classes aequae extendi possit, ut ex Parnassia, Apocyno, Asclepiade, Melianthro, Monotropa, aliisque videri potest.

2. *Multifilirosae plantae*, ob venenum reconditum *suspeditae* sunt. Huc referenda Poeonia, Delphinium, Aconitum, Nigella, Pulsatilla, Helleborus, Clematis. In genere itaque Plantae polyanthae venenatae habent naturam, quod tum ex his, tum ex Ranunculis patescit. Idem indicat saporis acreo et amarities. Draistica ut plurimum sunt; quod indicat naturae nostrae esse inimica, utpote vi illa ejicere studet.

### §. XI.

Sequntur classes in Systemate Sexuali, quae a subordinatione, proportione et situ staminum nomina trahunt.

DIDYNAMIA, primo suo ordine exhibet *plantas Verticillatas*, caule fere ligneo, quare suffrutes veteribus dictae sunt, foliis oppositis alternis. Folia vim habent fragantem, nervinam, resolventem et pellen-tem. Ex ordine naturali hic referendus est Rosmarinus et Salvia. Nulla fere classis hac naturalior est, nulla quae iisdem partibus eadem vim magis servet. Flores plerique odorem fragantem habent, ut Thymus, Lavandula, Marum verum, Dracocephalum, quorum tamen virtus non tanti aestimatur, quantum virtus foliorum.

TETRADYNAMIA tota sana est, atque venena Polyandria. Ejus virtutem indicant, Lepidium, Cochlearia, Rhaphanus, Cardamine, Erysimum, Sisymbrium, quae omnia, ut *Antiscorbutica*, dudum innotuerunt. Maxima vis in recenti planta est, quae succos antiscorbuticos verno in primis tempore nobis suppeditat. Ex his quoque radices tuberosae caulescentes vel suffrutescens esculentae sunt, et in usu culinari satis consuetae.

MONADELPHIAE ordo tertius *Polyandras* exhibet, adeoque naturalis est, ut vix exceptionem patiatur. Plantae hic obviae totae emollientem vim habent, radix tamen in usu praecipua. Haec consistentia spongiosa, colore albido, odore nullo, sapore viscoso succoque mucilago-



ginoso praestant. In Materia Medica Althaea, Malva, et Malva arborea reperiuntur. Gossypium magis oeconomico, quam pharmaceutico usui inservit.

DIADELPHIA colligit plantas, quarum *semina* sunt *estuentalia*, *flaventia* et *farinosa*. Exemplo esse possunt, Phaseoli, Pisii, Fabae, Lentis et reliquorum magis in culina, quam Pharmacopoea consuetum. Folio a jumentis appetuntur. Ab agricolis ideo et oeconomis curi summa cura coluntur Medicagine, Hedsara, Trigonellae, Trifolia, Viciae, Latyri, quod attigisse lectorem non peniteat, et si propo- situm non attingat, quoniam classis naturalitatem demonstrat.

SYNGENESIA *amaras* et *stomachicas* continet, multasque speci- ficas habet, cuiusmodi sunt, radices Bardanae, Carlinae, Tussilaginis, Cichorei, Scorzonerae, Taraxaci et plures aliae. Amarae sunt Absinthium, Abrotanum, Artemisia, Balsamita, Chamomilla, ceterae. Lac- tescentes virus non servant, exceptis Lactucae speciebus, quod de Se- misflosculosis notari meretur, quoniam reliquae plantae *lactescentes* omnes *venenatae* sunt. Huc spectant, Condrilla, Crepis, Hyoseris, Hypoheris, Leonthodon, Hieracium, Lactuca, Picris, Prenanthes, Tra- gopogon, et multae aliae.

GYNANDRIAЕ primus ordo *Orchidear* continet *aphrodisiacas*. Radices vim praecipuam servant, tota planta halitu hircino virtutem prodit. In Materia Medica radix Satyrii et Salep, nec non Vanillae siliquae hac vi praefestantissimae sunt. Sed dum observationibus comprobata est tentatio, radices et bulbos hos omnes Veneri promo- vendae inservire, licet minori interdum gradu. PIPERITAE, Arum, Dracontium, Calla *vim calidam et urentem* habent, quo Piper se- quuntur.

In DIOECIA, arbores semper virentes, coniferae, resinamque agen- tes, ob *vim diureticam* et *balsamicam* praeprimis sunt commendandae.

## §. XII.

Ex his appareat, Systema Sexuale studio id scrutanti atque cal- lenti, characteres vel signa suppeditare, ex quibus vires plantarum, tan- tum non omnium, satis tuto conjici possint. Quare ex eo artem plan- tarum characteristicam, diu expertam, repeti posse, summo jura affir- mari posse videtur. Antherae tunc et pistilla signa simplicia fiunt, com- ponuntur

ponuntur haec, quando numero et situ eorum classes et ordines conseruantur, et distincta evadunt, quando vel inter se, vel cum reliquis fructificationis partibus, conferuntur. Haec signa perfectione sua nulla parte destituuntur; clara enim et distincta sunt, et in sensus incurront. Etenim quilibet, sanis oculis iisque nudis totam fructificationem videre, et stamina pistillaque numerare, et eorum proportionem et relationem observare potest. Praeterea per convenientiam calycis et corollae, cum distinctionibus, a sexu petitis, distincta sunt; nec facile alii plantarum characteres verbis clarius proponi, et quasi depongi, aliisque ob oculos ponи possunt, quam hi ipsi, uti GENERA PLANTARUM communisstant. Quod quo minus quis dubitet, ea quae modo proposui, hic brevissimis et duobus tantum verbis, repetere libet.

**MONANDRIA.** Scitamina, Aromaticae, Calida.

**TRIANDRIA** dignynia. Semina esculenta.

**TETRANDRIA.** Stellatae diureticae. Radices tinctoriae.

**PENTANDRIA.** Asperifoliae vulnerariae

*Monogynia. Stamina declinata.* Venenatae.

*Monopetalae, Bacciferae.* Venenatae.

*Digynia, Umbellatae.* In siccis aromaticae calefiantibus et pellentes, in aquosis venenatae.

**HEXANDRIA.** Radices suspectae.

**ENNEANDRIA.** *Lauri species*, aromaticae.

**DECANDRIA.** *Staminibus bicornibus*, adstringentes.

Baccae, acidae, esculentae.

**ICOSANDRIA.** Fructus esculentus.

**POLYANDRIA.** Ut plurimum venenata.

**DIDYNAMIA.** *Verticillatae.* Fragrantes, nervinae, resolventes, pellentes.

*Angiospermae.* dubiae.

**TETRDYNAMIA.** Antiscorbutica.

**MONADELPHIA.** *Columniferae, Mucilaginosae*, obtundentes, maturingantes

**DIADELPHIA.** *Papilionaceae.* Semina esculenta farinacea.


**SYNGENESIA.** Pleraeque amarae.

**GYNANDRIA.** *Orchideae.* Aphrodisiacae.

*Piperitae.* Urentes.

**MONOECIA.** Coniferae. Balsamicae diureticae.

§. XIII.



## §. XIII.

Quandoquidem igitur, Systema Sexuale ad Naturale proxime accedit, Classes ejus plerumque erunt naturales, adhuc naturaliores Ordines, Genera autem naturalissima. Quod quidem ita intelligi volo, ut 1) *Plantae ejusdem Classis eandem habeant vim*; aut si plantae ejusdem Classis, vi inter se differant ob generum copiam, 2) *Plantae ejusdem ordinis aut in ordine subdivisionis*; aut si hic quoque differentia ob generum varietatem occurrat, 3) *species ejusdem generis eadem vi gaudeant*. Quibus observatis, sequentes valebunt regulae.

1. Qui vim unius speciei novit, cognoscit etiam vim alterius. Hinc una species pro altera, observata tamen Soli discrepantia, facile substitui potest. Id quod exemplis plurimis confirmatur. Veronica officinalis vi adstringente, vulneraria et tonica eminent; huic Veronica Chamaedrys bene substituitur, consistentibus auctoribus. Artemisia rubra et alba, Abrotanum, Absinthium vulgare et Absinthium Ponthicum, ut species Artemisiae promiscue adhiberi possunt, observata solummodo vi ejus, quae magis gradu, quam qualitate differt. Idem de Tanacetum et Balsamita, Chamomilla Romana et Nostrata, Rheo Rhabarbaro et Rheo Rapontico valet. Evidentissimum tantum adhuc exemplum adferam, Radicem nempe Thé rattle Snake-root Anglis dictam. Hac tanquam arcano incolae Virginiae sylvestris adversus morsus Viperae caudisonae et febres phlogisticas utebantur. Diu latuit; nec ullo præmio detegendam, tandem *Tennentius* detexit, esse speciem Polygalæ. Quod cognoscentes Medici Parisienses, Polygalæ nostratis inusitatissimam, nec officinalem radicem, in iisdem febribus aegrotis successu felicissimo propinabant: Ex quo elucet, speciem nostram eandem vim, tametsi debiliorem, cum virginiana habere. Quis igitur non videt, quantum commodum exinde in Rem Medicam redundet?

2. *Species unius generis speciebus alterius, et genera unius ordinis, aut ejusdem subdivisionis generibus alterius, substitui possunt*. Hoc ita se habere, ex Asperifoliis aliisque, supra allatis, apparet; quod tanto magis valet, quo magis genera cognata sunt. Ordines enim dantur, in quibus genera adeo affinia sunt, ut Botanici eorum characteres distinctivos vix summo studio eruere potuerint. Quod si fit, totus ordo pro genere, genera pro speciebus habenda. Hinc substitutio per naturam

naturam licet, ut in Tetradyname, et Umbelliferis aliisque, supra nominatis, videre est.

3. *Si quis alicujus Speciei vel Generis, naturam novit, is quoque Specierum vel Generum affinium vim cognoscit.* Exempla sunt facilia, et magnum exinde Medico practico commodum nascitur. Primum in experienda vi plantae, usu nondum receptae, tutior ibit, qui ex analogia ordinis vel generis eam conjicere valet, quam qui hanc ignorat. Ex fexcentis enim experimentis ea libenter eliget, quae ex Theoria felicem effectum promittunt, iis, quae eidem adversantur, neglectis. Nam qui aliquam saltem normam sequitur, nullo non nititur fundamento. Deinde multa medicamenta ab exteris petita, tum magno nonnunquam sumtu et incommodo sumuntur, tum casu defunt. Utrique difficultati Systematis Naturalis peritia occurritur, quoties exoticis indigenas substituere permittit Scientia, atque tunc facile minor gradus virium nostrantium compensatur, si vel augeatur dosis, vel repetatur usus. Medici autem officium est, rei aegroti angustae rationem habere. Sic Centaurium minus apud nos laete crescens et copiosissime, pro Gentiana rubra, ab exteris petenda vel horitis colenda, sumi posset; alia ut taceam.

#### §. XIV.

Quantum ex his judicare licet, Systema Sexuale arbitriatum non est, sed naturae plantarum vel maxime convenit. Continet enim tot classes naturales, quot nullum aliud. Tametsi autem artificiale sit, id singulare ejus artificium est, quod principio naturali, quantum quantum est, fundetur. Nam Sextus plantarum non pro arbitrio assumta, vel ingenio excogitata res est, ut aliorum systematum thesis primaria, sed in natura plantarum fundata et ab eadem tradita. Quare is ejus in re medica ipsi proprius usus est, ut ex classe et ordine plantarum de virtute illarum judicium ferri possit. Provoco ad exempla supra data. Qui unius vim cognoscit, alias congeneris vim etiam perspicit. Neque etiam reliquarum classium non nominatarum usus omnino nullus est, quoniam nos circa plantas, iis collectas, cautos et circumspectos reddit, monitos, ne plantis promiscue et imprudenter fruamur, quarum virtus ambigua est, quippe quae inter consortes incertae notae a natura repositae deprehenduntur. Igitur harum aliquam non prius



adhibebit Medicus, quam experimentis et observationibus convictus est,  
hanc non aliam ejus vim esse.

### §. XV.

Aliud argumentum, quo se usū commendat Systema Sexuale, Sapor et Odor suppeditant. Horum novimus utilitatem in dijudicandis plantarum viribus. Natura enim plantis calidis saporem acrem et pungentem, et aromaticis odorem fragrantem haud frustra largita est. Gustus enim et Olfactus sunt quasi custodes, qui carent, ne aliquid noxiū comedamus et deglutiamus. Accedit Color, qui cum plantae natura imperscrutabili nexu conjunctus est, tametsi in modificatione succus fundamentum habere credatur. Est autem id dudum observationibus comprobatum, laetum ac hilarem corollae colorem laetam ac amabilem naturam; tristem vero et luridum noxiā et venenam virtutem designare. Quorum quidem indiciorum eximia convenientia cum Systemate Sexuali observatur. Color ruber acidum, luteus amarum quid prodit; illud in *fructibus*, hoc in *Ranunculis* et affinibus nec non in **compositis** obvium est. Color albus vel pallidus innocens est, ut in **CRUCIATIS**. Color floris luridus et facies tristis plantas suspectas et venenatas prodit. Idquod in *Afaro*, quod vim drasticam habet, in *Aconito Napello*, *Hyoscyamo*, *Nicotiana*, *Papavere* reliquisque obvium est. Color niger venenum minatur, ut in *Atropae*, *Actaeae* aliarumque baccis videtur. At exceptionem hoc ultimum patitur, ob regulam aliam, supra nominatam, prouti in baccis *Vaccinii*, *Rubi*, et cognatis conspicitur. Pari modo odor convenit. *Suaveolentes* alliciunt, *graveolentes* dubium relinquunt, *nauseosae* fugant sui contemplatores. Quis ignorat odorem tereum *Solani*, *Daturae*, *Hyoscyami*? Quid fortius hircum olet, quam plantae *orchideae*? Idem de sapore valet, quem, ut notissimum, studio hic omitto. Annon vero ex his luculenter appareat, virtutis plantarum indicia, in Systemate Sexuali exhibita, Medico non negligenda esse? Evidem facile largior, exempla in contrarium adduci posse, et quarundam classium plantas vi differre. Verum id assertioni meae non officit. Id tantum arguit, hanc signorum scientiam ad summum perfectionis culmen nondum perductam esse: cui ego non adversor. Ast quaero, num certissima signa, quae docet Systema Sexuale, ideo negligenda et aspernanda sint? Etenim hoc tum deinum licet, quando in via ad felicitatem ob difficultates

occurred

ocurrentes pedem figere viatorem decet. An vero hypothesis omnis, ex qua plurima, non omnia, phenomena explicari possunt, deficiente perfectiore, improbanda est? Quae scientiarum multarum facies nunc foret, si ita semper earum cogitassent promotores? Quis progressus in artibus expectandus, si nihil novi conjicere et exemplis stabilire liceat? Fieri autem utique potest, ut quae in Systemate hoc adhuc incerta sunt, temporis progressu certissima, et quae nunc obscura videntur, repetitis observationibus clarissima fiant. Itaque nullus dubito, quin aliquando Botanicorum studio atque assidua opera, hoc Systema, si quod aliud, ad id fastigium perducatur, quod dudum adspirarunt Medici, Nam quod ante Seculum incertum in eo erat, hodie certum est, et quod vix ulli perspicuum, nunc lippis et tonsoribus notum est. Certe Fragmenta Systematis Naturalis, in eo copiose obvia, testantur, majoris id perfectionis capax esse. Et quis dubitare potest, plantarum vires certas fructificationis leges sequi, cum in tanta plantarum copia eas sequi deprachendantur? Tandem si vel universus orbis, ab hac methodo dijudicandi vires plantarum dissentiat, dissentient autem paucissimi, attamen ego persuadere mihi nullo modo possum, vana et irrita esse, quae hac de re prolatæ existant, quando considero, plantas pentandas digynas, pentapetalas, flore infero, seminibus duobus nudis, ad unam omnes habere folia alterna, esse herbaceas, radicem et semina odora- ta esse et sapida; aut plantam triandram digynam, calyce biglumi, semine uno nudo, semper habere folia liniaria, culmum articulatum, semina farinacea et esculenta; aut plantam tetrandram, didynamem, monogynam, calyce monophyllo, corolla monopetala irregulari et stigmate bifido, seminibus quatuor nudis, si vel ex India allata sit, caulem habere quadrangularem, articulatum, folia alterna, opposita, simplicia, odoremque fragrantia, nec venenata: haec, inquam, multaque alia quando considero, persuadere mihi nequeo, nihil essentialie plantarum dari, nihil quod internam earum indolem prodat, nullamque inter vim plantæ et Systema Sexuale connexionem existere.

## §. XVI.

Liceat mihi hic monere omnes Medicinae Studiosos, quin omnes, qui cognitionis plantarum desiderio trahuntur, ne in eligendo Systemate ad descendam Botanicen illis necessario, sine causa negligant Syste-



ma Sexuale, ad aliud declinantes difficilius, magisque arbitrarium. Est quidem ejus usus in Re Medica adeo insignis, ut quemvis, Botanicae operam navantem, fortiter ad se invitet; sed non minores in aliis artibus fructus colligendos curat. Non enim solum unicnm est, quod ex uno principio ex Natura desunto, divisiones plantarum clas- sesque et ordines constitutat, quodque tantum elaboratum sit, ut nulla planta quaerente latere possit; sed in Agricultura pariter atque Oeconomia rurali, Arte coriaria, Tinctoria, Scrinaria, et Culinari, magna- num etiam influxum habet, quoniam vires plantarum generales docet. Praeterea discentibus compendium opera, et facilitatem discen- di haud satis laudandam affert, cum et sexui plantarum tota nitatur, et subdivisiones fructificationem semper respiciant, et generum chara- cteres certi et indubitati sint, et species notis claris distinguantur, et re- liqua commoda habeat, quae in aliis frustra quaeras. Proinde laetor Hortum Botanicum Gryphicum, magno adparatu nuper constitutum, ad hoc Systema, *Dilectissimi Fratris* opera, compositum, et magna plantarum rarissimarum copia jam uno anno exornatum esse. Laetor Academiae splendorem, exinde brevi fulgendum. Gratulor studio- sam Juventutem, occasionem *Celebratissima* hac *Academia* scientiam tam necessariam et utilem, discendi, cuius discendi causa olim exte- ros non sine maximis sumtibus et in commodis adire cogebantur. Gratulor Medicinam veris nunc certisque principiis fundandam, feliciter- que apud nos promovendam. Gratulor Patriae, fructus insignes inde colligendos.

